

nicolau primitiu



R. P. D.

V R S I N O

Valentina Vicariæ.

Luna 10. Ianuarij 1695.



EINTEGRATA hodiè disputatione super articulo -- An requisita mentio obtentorum in assequitione secundi Beneficij ad terminos *Text. in cap. Si motu proprio, & cap. Non potest. vers. cum. de Prabend.* militet solum quoad Beneficia compatiblea in quibus consideratur pluralitas impetrationum Sacris Canonibus inuisa, vel procedat etiam

in Beneficijs incompatibilibus ipso Iure vacaturis per alterius assequitionem; Reuolutisque fundamentis sub quibus

A

pro-

processit Decisio coram Me edita die 7. Iunij anni mox elapsi firmans Principis rescriptum inualidari, & gratiam vti subreptitiam ipso Iure corruere tacito incompatibili prius obtento, itaut Beneficium vacare dicatur vt prius, cum illa Patres satis in Iure solida reputauerint, ac euerti non viderint à denuo propositis obiectis, eis inherendo iterum firmarunt sensum tam ex Sacrorum Canonum dispositione, quam ex Iuridicis Theoricis, ac comuniore Doctorum opinione, ad validam Beneficij impetrationem opus esse narrare possessionem alterius incompatibilis per prius assequuti, ac in Decissis perstiterunt.

Litterale namque ad controuersia Decisionem visum est responsum Innocentij III. in *cap. Postulasti 27. de Rescript.* fusè relatum in prima Decisione *S. Contrarium tamen*, in quo cum Papa profiteatur perpetuum Vicarium ab impetratis litteris commodum reportare non posse nisi de obtenta Vicaria mentionem fecerit, generalis eruitur propositio, taciturnitatem cuiuscumque Beneficij nulla adhibita distinctione compatibilis ab incompatibili gratiam vti veritate tacita impetratam irritare, cum vniuersalis regula per Sacros Canones præscripta vtroque Beneficiorum generi apprimè adaptetur, eiusque dispositio in omnibus indefinitè verificari valeat, prout retento themate præcitati Textus assumpti genericè firmat ibidem *Gloss.* in figuracione casus ibi -- *Item semper est facienda mentio de priori Beneficio aliter non valent litteræ, vt hic dicitur* -- Eumque insequendo in specie animaduertunt individualissimè *Abb. in cap. Ad aures de Rescript. num. 9. Gonzal. Fellez. in cap. Ad aures num. 11. de Rescript. vers. Vnde recte*, & punctualiter firmavit *Garzia de Benef. part. 1. cap. 2. num. 126. & seqq. Rota decis. 1639. num. 6. & 11. confirmata in decis. 1662. coram Coccino, & in Burgi S. Sepulchri Prioratus 25. Iunij 1688. S. Vacatio siquidem, & S. Neque à mentione. coram Reuerendissimo Caccia.*

Neque releuat *Text. in cap. Postulasti*, nuper relatum, non discutere casum duorum incompatibilium, de quo in præfenti quæritur, sed tantum decidere articulum Clerici obtinentis compatibile non narrata assequutione Vicariæ residentialis quam obtinebat, qui cum in ratione legali præferebat pluralitatem Beneficiorum improbatam, satis distare dicatur ab hodierna controuersia, in qua cum illa minimè sit
spe-

ſpectabilis ex quo primum Beneficium iam ipſo facto vacare contigit, nequeat proinde in hunc ſenſum trahi diſpoſitio ſub diſparata ratione concepta. Nam neque inſpiciendo propoſitionem à Textu firmatam, minusque perpensa ratione ab eodem ad intentum aſſumpta, verificatur particularis theoria in obiecto laudata, quin potius generica inducatur conſuſio compræhenſiua cuiuſcumque Beneficij ſiue compatibilis, ſiue incompatibilis.

Conſiderata inquam Textus propoſitione, nam cum ille per hæc verba hic haut inutiliter repetenda concludat -- *Quod cum per formam prædictam neceſſitatibus pauperum Clericorum, qui nullum ſunt Eccleſiaſticum Beneficium conſequuti Sedes Apoſtolica duxerit ſuccurrendum, perpetuus Vicarius niſi de Vicaria fecerit mentionem commodum reportare non debet de huiuſmodi litteris, utpote veritate tacita impetratis* -- liquet Deciſionem illius non reſtringi qualitati compatiibili, quam nec narrat, ac ſub inuolucro relinquit, ſed indefinitæ theoricæ per quam inducitur ſubreptio ſecundæ gratiæ ob taciturnitatem cuiuſcumque etiam modici Beneficij, prout litteræ contextus præſert, ac ulterius ſuadet adminiculatiuum connotatum ab eodem perpensum ibi -- *ſuper obtinendo alio Beneficio de leui non ſcribimus, quin faciamus de primo in noſtris litteris mentionem* -- iuxta quæ tam genericè, & indefinitè ſcripta non datur argui reſtrictio regulæ ad ſolum caſum compatiibilem, ſed iure merito contraria firmatur theſis, prout ſub hiſce anim aduerſionibus docuere *Abb. in cap. Ad aures de Reſcript. num. 9. ibidem Felin. num. 4. Gonzal. ad Regul. 8. Cancellaria Gloſſ. 15. §. 2. num. 6. verſ. Aduerte in ſecunda impreſſione*, vbi refutata opinione tenta in priori operis editione generalitatem regulæ per Textum firmatæ amplectitur, ac ſequuntur in præciſis terminis alij DD. relati in prima Cauſæ Deciſione §. *Contrarium tamen in fine*.

Idiſſimum, ponderata Textus ratione, euidentius demonſtratur nam tota littera perſpecta nullibi legitur rationem animatiuam ſiſtere in Beneficiorum multiplicitate, itaut illa fuerit ratio finalis, & motiua irritandi nouam prouiſionem, ſed euincitur pro motiuo ſubreptionis adduci, quod Clerico iam prouiſo de perpetua Vicaria Sedes Apoſtolica rarò notum impartitur Beneficium, cum ſoleat regulariter ſuccurre-

re necessitatibus pauperum Clericorum nullo Ecclesiastico subsidio prouisis, quibus in concursu cum iam Beneficiato Sacri Canonis potiora Iura attribuunt. Sub hac igitur animaduersione prodijt decisio totiès laudati Textus, quæ cum æquè militet tam in assequutione compatibilis, quam incompatibilis, iure merito regula vtriusque comprehensiuæ eruitur, cum certo certius Papa petenti incompatible illud sub motiuo ordinate charitatis erga Clericum non Beneficiatum denegare valuisset, & fortè denegasset, cum id distributiue Epicheiæ ratio exposculet, & Sacrorum Canonum dispositio demandet: Si ergo difficilior Princeps gratiæ reddi potuisset ab expressione, illa omninò est necessaria, at tacita causat subreptionem, prout hac ponderata ratione tenuit *superius relata Gloss. Abb. & Felin. in locis allegatis.*

Motiuumque multipliciter Beneficiorum à nullo ex DD. nostram opinionem insequentibus perpenditur, sed ad theoreticæ fomentum, vel consideratur nuper discussa reflexio, vel altera æquè potens animaduersio elicitæ à difficultate, quæ in Pontifice exoriri posset de absoluendo Prouisum à vinculo prioris Beneficij, quæ in ipso pluribus congruentibus rationibus confoueri valeret. Primò namque in Expetente nouum Beneficium considerari posset ambitionis, & avaritiæ fucus, quem refrenare oporteret gratiam denegando. Secundò autem quia forsan congruentius esset confirmare Beneficiatum in vocatione, qua primitus vocatus est, eo quod aptior dignosceretur Beneficio habito, quam ambitio: Quibus sub titulis cum iustissimè posset Papa nouæ prouisioni obfistere narrari pernecessè debet assequutio etiam consimilis Beneficij, vt in his terminis optimè dixit *Rota penès Scraph. decis. 483. num. 7.* & latè comprobauit decisio quæ confirmatur *S. Ratio autem animatiua.*

Sic itaque vindicato fundamento resolutionis, ac intrinseco rationum robore fulcito, deueniendo ad extrinsecum auctoritatum adiumentum, in sententiam hodiè tentam confluere visa est maior, doctior, ac præ cæteris conspicua Doctorum series, quorum dicta infelici criticabantur labore, cum obiecta sola lectura eliminat, quosque proinde in vnum colligere satis creditur opportunum, vt eo firmiter stabilietur propositio subreptionem in litteris Apostolicis causari à taciturnitate primi obtenti, etsi incompatible cum secundo asse-

assequuto, cum illam, re per sua originalia principia exami-
nata, tueantur, ac probent *Felin. in cap. ad aures sub num. 3.*
vers. unde dicendo. de Rescript. & in eundem Text. Abb. nu. 9.
Gonzal. Tellez num. 8. & 11. Butr. num. 6. & 8. Barbat. in
cap. in nostra in fine eod. tit. de Rescript. & Barbof. in cap. cum
adco. num. 2. in fine, & num. 3. Garz. de Benef. par. 1. cap. 2.
num. 26. & seqq. vbi de praxi, & stylo testatur. Gonzal. in se-
conda impressione ad Regul. 8. Cancell. Gloss. 15. S. 2. num. 68.
vers. Aduerte. Mascard. de probat. conclus. 887. num. 27. &
seqq. vbi de veriore secundum Iuris dispositionem. Tondur.
Quest. Benef. tom. 1. cap. 29. per tot. vbi quaestionem detractat
in terminis Beneficij Regularis, & Canonicius Sæcularis in-
ter se incompatibilium, vt declarat in num. 4. fuitque con-
stans nostri Tribunalis sententia, vt in Calaguritana Canoni-
catus, & Præbenda 23. Martij 1579. coram Blanchetto, relata
à Garzia loco quo supra, & penes Seraph. decis. 483. num. 7. &
decis. 1639. per tot. & decis. 1662. num. 1. coram Coccino, &
concordantibus cumulatis nouissime in Burgi S. Sepulchri Priora-
tus 25. Iunij 1688. S. Vacatio siquidem, & S. Neque à men-
tione, coram Reuerendissimo Mediolanen.

Hinc in tot Insignium DD. & indiuidualium nostri Auditorij
resolutionum concursu, parui ponderis reputari valuerunt
paucæ in numero, & parvæ in rationibus authoritates pro
contraria sententia allegatæ. Quippe quia aliquæ casum
non percutiunt; Aliæ dubitatiuè rem agunt; Et cæteræ per-
functoriè, & sine authoritate quaestionem potius innuunt
quàm pertractant, vt à particulari illarum patebit indagine.

Antiquus namque *Glossator*, apud *Cochier. in Coment. ad Reg. 61.*
Cancell. insignis quidem Beneficialista, quaestionem non exa-
minat, sed perfunctoriè inducit contrariam propositionem,
quam nec textu, nec ratione, minusque Doctore munire stu-
duit, & ob id illius opinione relata à Mascard. de probat.
conclus. 887. num. 26. illam in numero sequenti secundum Ab-
batem, & alios DD. dicit minus veram, sicque optimè in pri-
ma mea decisione S. Hinc vim aliquam pro reprobata refer-
tur præcitati Alfonsi opinio, cum illam actu referat, & non se-
quatur Mascard. loco allegato.

Idemque *Mascard.* minus cautè adscribitur classi negantium
subreptionem in themate, cum in num. 27. nuper allegato re-
ferat opinionem *Abbatis*, & rationes examinet, & tandem
con.

concludat -- Et ideò de iuris dispositione esset dicendum contrarium, iuxta sententiam Felin. in dicto cap. Ad aures.

Lapus in Allegat. 89. num. 7. diuersam panitus panitusque examinat inspectionem, cum tantum agat de quadam permutatione à duobus Prælatiis assequuta, qui cum postea in suis primæuis titulis remanere exoptassent, ac obtinuissent à Summo Pontifice, quæritur an dicta gratia vitietur non narratis primis collationibus, & concluditur negatiuè, quia taciturnitas secutæ collationis nil præferebat, quod Papam à concedendo valuisset retrahere, à quo nihil ad casum nostrum induci valet.

Viuian. de Iurepatr. lib. 14. cap. 13. num. 99. relato Glossatore antiquo, loquitur per verba est probabile, & articulum non examinat, sed sub dubitativa methodo perfunctoriè tantum quæstionem pene attingit.

Cochier. ad Reg. 91. Cancell. num. 9. & Barbof. voto 107. num. 13. firmiter tantum quod non sit facienda mentio valoris Beneficij Curati obtenti in secundi assequutione, ad præscripta in Regulla 55. Cancell. cuius dispositio non percutit nostrum assumptum ob disparatas rationes, quæ in vno, & altero casu perpensæ fuere in prima Decisione S. Minusque obstabat.

Rota demùm in decis. 14. aliàs 171. de Præbend. coram Mohedano discurret an sit in impetratione facienda mentio qualitatis Beneficij prius assequuti, quod fit sub eodem tecto; Sicque nostram quæstionem non assumit, quæ ab illa distat quantum genus à specie.

Remaneret ergo solus Moneta de Comut. ultim. volunt. cap. 6. num. 253. qui contraponi non meretur tot tantisque auctoritatibus contrariam sententiam tuentibus, immò vti singularis, ac resistens clarissimis Sacrorum Canonum dispositionibus venit omninò reiiciendus, ac eius opinio vti minus tuta, ac periculosa confutari debet.

Firmata itaque ad Iuris Canonici regulas subreptione, verificatisque litteris Apostolicis Laurentij in ea fundatis, frustra Hiacyntus illam declinare satagebat in themate, ex quo illa solum sit spectabilis in Beneficijs pertinentibus ad liberam Papæ prouisionem, non verò in illis, quorum collatio facienda est ad præsentationem, seu nominationem alterius, cuius generis erat controuersa Vicaria, vtpotè vnita digni-
tati

tati Sacristiæ maioris Cathedralis Valentiniæ ad cuius nominationem cum Papa teneretur de Iure præsentatum, seu nominatum instituere, considerabiles non sint rationes absolvendi, vel relinquendi in obsequijs prioris Beneficij superius ponderatæ.

Siquidem, cum tam in Beneficij liberæ collationis, quam ad nominationem possit Papa considerare Beneficiatum magis aptum Beneficio obtento, quam petito in vtraque specie causatur subreptio, nam ad illam inducendam satis est, quod Princeps potuisset nominatum ex hoc capite reijcere, licet non reiecisset; nam quando expressio à Iure exigitur, taciturnitas vitiat rescriptum etiam si alias emanasset, cum satis sit potuisse non emanare, vel non tam facilè, vt originaliter docuit *Abb. in Cap. Postulasti num. 1. litt. F. versic. Ex quo coligitur* iuxta verba relata in prima Decisione § *Hoc igitur retento*, & doctè comprobatur *Fagnan. in Cap. Super litteris num. 52. & 58. & num. 69. de Rescript.*

Et ita prætermisso obiecto bonæ fidei, cæterisque leuioribus in prima Decisione eliminatis PP. resoluerunt vtraque parte accerrimè concertante &c.

R O M Æ . M . DC . XCV .

Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ .
Superiorum permissu .

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

EXTRACT

Library of the Generalitat Valenciana
Valencia